



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSÆ.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVI. Nota decima tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

nes, qui simul cum miraculis, non etiam hoc dono claruerint. Sed hæc pauca hoc loco sufficient.

CAPVT XVI.

NOTA Decima tertia.

DECIMATERTIA NOTA est CONFESSIO aduersariorum: Tanta enim est vis veritatis, vt etiã aduersarios cogat interdum sibi testimonium dare, iuxta illud Deut. 32. *Non. n. est Deus noster vt Dij eorũ, & inimici nostri sunt iudices.* Iam nusquam inueniuntur Catholici laudasse, aut approbasse doctrinã, aut vitam vllorum Ethnicorum, aut hæreticorum. *Scimus enim, vnam tantũ esse veram fidem, & sine ea nullam esse veram iustitiam.* Itaque nos constanter asserimus, *erare omnes, qui doctrinam nostram non sequuntur.* At non sic de nobis loquuntur Pagani, Iudæi, Turcæ, hæretici.

De Paganis multa testimonia sunt; Plinius II. in epist. ad Traianum, lib. 10. epistolarum, scribit, Christianos omnia vitia detestari, sanctissimeq; viuere, & hoc solũ in eis posse reprehendi, quod nimis facillè pro Deo suo vitam profudant, quodque horis antelucanis surgant ad canendas laudes Christo. TERTULLIANVS in Apologet. cap. 1. & 2. statuit, Paganos noluisse discuti causam Christianorum, sed damnari sine discussione, quia sciebant, se in eis nihil mali reperiuros. & cap. 5. & 6. affirmat, eos Imperatores, qui sunt habiti optimi, fauisse Christianis; vt M. Aurelium, Vespasianum, Antoninum Pium; eos autẽ persecutiones mouisse, qui sunt habiti pessimi, etiam ab ipsis Gentilibus, vt Neronem, & Domitianum.

Exstat quoque epistola Marci Aurelij Imperatoris, in qua testatur, in Germania cũ per dies quinque siti laboraret exercitus, & essent Romani circumdati ab incredibili multitudine Germanorum, vt esset impossibile humanis viribus euadere: tunc se ad Deos patrios confugisse, sed frustra; deinde aliquot milites Christianos, qui erant in exercitu, rogasse, vt etiam ipsi Deum suum orarent. Porro vix illos in gentem ad orationem procubuisse, cũ statim de cœlo in Romanos quidam iucundissimus imber descendit; in hostes verò ignis & grando permixta: cuius epistolæ meminit Tertullianus in Apologet.

Apolog. cap. 5. & in lib. ad Scapulum, & nuper inuenta est, & impressa in operibus Iustini.

Denique, S. Antonium, S. Hilarionem, & S. Martinum fuisse honori & reuerentiæ Paganis, scribunt Athanasius, Hieronymus, & Sulpitius, in eorum vitis.

De Iudæis habemus in primis testimoniū Iosephi li. 18. antiq. c. 6. ubi affirmat, Christum plus quàm hominem fuisse, & verè Messiam esse. PHILO scripsit librū insignem de laudibus eorū Christianorum, qui sub Marco Evangelista in Ægypto vivebant: quē librum scriptum de laude Christianorum, nō de secta aliqua Iudaica, ut putant Centuriatores Cent. 1. li. 2. cap. 3. col. 18. testatur Eusebius lib. 1. hist. cap. 16. Epiphanius hæres. 29. Hieronymus de viris illustribus, in Philone. Sozomenus lib. 1. cap. 12. & Beda præfatione in Marcum.

Mahumerus in Alcorano, cap. 2. docet, Christianos saluari, & cap. 4. dicit, Christum maximum esse Prophetam, & ipsam Dei animam habere. Testatur quoque S. Bonaventura, Sultanum Ægypti, licet Mahumetanum, in summo honore ac reuerentia habuisse B. Franciscum, quē tamen sciebat Christianum & Catholicum esse.

Idē de hæreticis dici potest; nam B. Benedictum Catholicum à Rege Totila Ariano summo honore affectum, ut verum Dei seruum & Prophetā, scribit S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 15. Et LUTHERVS, iam hæreticus existens, sic scribit in libro contra Anabaptistas, qui in odium Papæ reiiciunt Baptismum paruulorum: *Nos, inquit, fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, immò omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur, in Papatu veram esse Scripturam sacrā, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verū Catechismum, et sunt, oratio Dominica, decem Præcepta, articuli Fidei. Dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, immò verum nucleum Christianitatis esse.* Hæc ibi. Vbi si nobis nucleum tribuit, certè sibi nihil seruat, nisi corricem vel putamina.

CALVINVS Instit. cap. 10. §. 17. vocat Bernardum pium scriptorem. At certè Papista fuit Bernardus, & nemo est pius sine vera fide. PHILIPPVS in Apolog. art. 5. & 27. Confess. Augustinæ, vocat sanctos Bernardum, Dominicum, & Franciscum, quod idem facit Lutherus in lib. de abroganda Missa, prope finem.

finem. Item, vt scribit Cochlaus in actis Lutheri, anni M. D. XXXI. cum post multa praelia inter Catholicos & hereticos Heluetios pax componeretur, in i. art. Concordie heretici scribebant, se velle deinceps dimittere confederatos suos quietos circa veram, indubitata, & Catholicam fidem suam: Catholici autem scribebant, se velle dimittere confederatos suos quietos circa fidem eorum; nihil verò addebant de vera, indubitata, vel Catholica.

CAPVT XVII.

NOTA Decima quarta.

DECIMA QUARTA NOTA est IN ELEIXITUS, seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant, Et si enim Deus punit suos, & flagellat, tamen tandem proiicit virgam in ignem. Deut. 32. *Laudate Gen- tes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum slesce- tur, & vindictam retribuet in hostes eorum.*

De misero fine Pharaonis, primi persecutoris Ecclesie, legimus Exo. 14. de Dathan & Abiron primis schismaticis legimus Numeri 16. de Iezabel, 4. Reg. 9. De ANTHOCHIO 2. Machab. 9. De Pilato, quod seipsum interfecerit, scribit Eusebius lib. 2. hist. cap. 7. & cap. vlt. refert breuiter cladem Iudæorum, quam Iosephus latè profequitur in lib. de bello Iudaico. De HERODE AScalonita, qui obiit scates vermibus, cum prius occidisset vxorem, & filios, & seipsum occidere voluisset, scribit Iosephus libro 17. antiquitatum, cap. 9. De HERODE Tetracha, quod amisso regno, in exilium relegatus perpetuū, miserimè vixerit, scribit idem Iosephus li. 18. cap. 14. de filia Herodiadis: vide Nicephorum lib. 1. cap. 20. De HERODE Agrippa vide Act. 12. Neronem, Domitianum, & ceteros Imperatores, qui Christianos persecuti sunt, omnes vel à seipsis, vel ab aliis crudeliter necatos, vel certè miserè perierunt, constat ex Chronicis & historiis omnibus; nam Traianus horrenda paralyfi, & simul hydropisi extinctus est; Diocletianus Imperium deposuit præ dolore, quod Christianos delere non posset; Galerius Maximianus, & Maximinus ceteri horrendis doloribus correpti sunt, vt etiam Medici Etharici dicerent, diuinam esse plagam: Vide Eusebium in Chronico, & lib. 8. hist. cap. vlt. & lib. 9. cap. vltimo.